

traderent, imensos labores pertulerunt, omnes orbis regiones peragrarunt, acerbissima cunctorum pane mortalium odia præceptoris sui exemplo sustinuerunt, ac postremo, quod terribilium omnium extremum esse dicitur, acerbissimis suppliciis vitam profuderunt. Suo enim & ceterorum apostolorum nomine Paullus admiranda illa certamina & labores, propagandæ fidei gratia susceptos, describit his verbis: (a) *puto enim, quod Deus nos apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, angelis, & hominibus*: hoc est, tam multis ac magnis persecutionum procellis nos mundus exagitavit, ut quemadmodum in spectaculis publicis homines feris dilacerandi obijciuntur; ita nos laboribus nostris, non hominibus solum, sed angelis etiam, admirandum spectaculum facti sumus. Enumeratque deinde suos atque coapostolorum multiplices labores his verbis: (b) „*usuramus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cadimur, & instabiles sumus, & labora-*

„*mus operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.*” Hactenus verba Paulli: quæ is non de se modo, ut ante diximus, sed de ceteris quoque apostolis prædicat. De quorum numero gloriosi apostoli, Simon & Judas, quorum hodie festum diem celebramus, exsistere: de quibus illud certum est, quod simili cum ceteris apostolis studio fidem Christi propagarunt, similemque martyrii coronam adepti sunt. Quo autem in loco, aut quo modo res gesta sit, quoniam ecclesiastici scriptores variant, nihil in præsentia dicimus. Nos autem, fratres, eorum fidem, caritatem, patientiam, constantiam, divinæ gloriæ studium, & vitæ puritatem imitari studeamus; ut eorum vestigiis insistentes, ad eorum tandem societatem pervenire mereamur: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

IN

(a) 1. Corin. 4. 9. (b) *Ibidem*, v. 11. 12. 13.

IN EODEM FESTO
BB. SIMONIS ET JUDÆ
CONCIO SECUNDA,

IN QUA, POST BREVEM EVANGELICÆ
lectionis explanationem, de laborum patientia,
& perfecta in Deum caritate agitur.

THE. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Joan. XV. 18.

*** Odierna sancti evangelii lectio, fratres carissimi, pars quædam est excellentissimi illius sermonis, quem Dominus in novissima cœna ad discipulos habuisse memoratur: in quo illos partim ad mutuam dilectionem adhortatur; partim de suo abscessu mœrentes consolatur; partim vero labores & certamina, quæ illos in evangelii prædicatione manerent, ne ipsos imparatos, & falsa securitate torpentes invenirent, prænuntiat. In præsentibus vero sancti evangelii lectione hæc eadem fere attingit, & novis ea rationibus confirmat; quæ nos modo breviter perstringemus. Quam rem ut pie & utili-

ter præstare possimus, caelestem opem, sacratissimæ Virginis interventu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Exposuerat paullo ante Dominus ingentia præmia, quæ mandatorum & legum suarum cultoribus constituta erant. Dixerat enim primo: (a) *si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hoc autem præmio quid optari majus potuit atque præstantius? *Ad eum, inquit, veniemus; nec veniemus modo, sed etiam mansionem apud eum faciemus: in eo videlicet tamquam*

N 2

in

(a) Joan. 14. 23.

in augustissimo templo nostro commorantes; quod non ex dolatis lapidibus, sed ex pretiosis virtutum margaritis constructum est. Quid autem ibidem habitans Dominus faciat, non est difficile divinare. Quum enim effectrices causæ similes sibi effectus, quatenus licet, efficiere conentur; quid in mente hominis Deus habitans nisi sibi similem hominem facere contendet? Itaque quum ipse sit lux, ut Joannes evangelista (a) restatur, illuminabit oculos nostros, & splendidissimam pulchritudinis suæ notitiam mentibus nostris infunder. Quum idem etiam (b) ignis consumens sit, excoquet utique omnem impuritatem nostram, & quidquid dissimile sibi in nobis deprehenderit, exuret, nosque sui amore inflammabit. Quum vero panis angelorum sit, (c) cibabit utique nos pane vita & intellectu. Quum idem etiam fons sit, sitim animæ nostræ sedabit, & arentem cordis nostri terram, ut fructus vitæ proferat, irrigabit, & cupiditatum nostrarum ardorem salutaris gratiæ suæ unda refrigerabit. Denique quum idem immanis bonitas, summa puritas,

(a) Joan. 1.9. (b) Hebræor. 12.29. (c) Eccli. 15.3. (d) Psalm. 17. 32. 35. (e) Joan. 15.7.

& insuperabilis fortitudo sit; harum nos virtutum participes efficiet, si nos illi religiose & humiliter tractandos atque regendos committamus, ut jam cum propheta dicere possimus: (d) „quis Deus præter „Dominum, aut quis Deus „ præter Deum nostrum? Deus, „ qui præcinxit me virtute, & „ posuit immaculatam viam „ meam: qui docet manus „ meas ad prælium, & posuit „ ut arcum æreum brachia „ mea. „ Hæc igitur omnia mandatorum suorum cultoribus Dominus pollicetur, quum ait: *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Quid vero præmium illud, quam magnificum & admirandum? (e) *Si manseritis, inquit, in me, & verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Est ne aliquid in vita majus, quod hominibus proponi possit? Quid opes, quid regna, quid imperia, huic felicitati comparata, nisi pulvis & umbra sunt? Quam multa reges, quam multa imperatores sitienter appetunt, quæ vel propter inopiam, vel propter imbecillitatem & impotentiam consequi non possunt?

sunt? Quid autem illi deesse potest, cui a sempiterna & ineluctabili veritate dictum est: *quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis?* Reliquum est igitur, ut quantum velis, exoptes; quantum optaveris, posscas; quantum poposceris, te impetraturum confidas: & quum magnum aliquem justitiæ gradum adeptus fueris, ad altiore repente contendas; neque ullis bonis contentus, ad majora & altiora nitare, & semper immensa & infinita concupiscas. Explebit enim cupiditatem tuam clementissimus ille Dominus, & quo ardentius sitieris, eo bibes affluentius. (a) *Dilata, inquit ille, os tuum, & implebo illud.* Unde David (b) mentem suam excitat ad tantæ magnificentæ atque liberalitatis laudes egregie concinendas, illumque optimum parentem perpetuo celebrandum, qui desiderium nostrum, quantumvis magnum & infinitum, replet.

Quamvis igitur aliquid amplum & magnificum consequare, quum semper aliquid in rebus divinis amplius occurrat; neque enim fieri potest, ut in rebus infinitis finem al-

Tem. III.

quando reperias: semper aliquid erit novi, quod optes, quod obsecres, quod adipiscare. Quod si aliquando volueris, ut (c) Sol in cælo sistat, aut qua venerat, (d) reflectatur; id etiam petes, & impetrabis. Et si volueris, ut arbor evulsis radicibus (e) se in mare præcipitet, aut monti præceperis, (f) ut alio secedat, mons etiam ille obtemperabit. Quam rem sanctissimum atque doctissimum Gregorium, Pontificum episcopum, Eucherius in epistola ad Valerianum fecisse memorat, ut locum exadificandæ ecclesiæ ad fidelium commoditatem præberet, quum saviente persecutionis procella in montibus latitabant. De beato quoque Hilarione D. Hieronymus scribit, quod quum immanis quidam draco regionem vastaret, vir sanctus pyram ingentem accendi iussit, draconique ad se vocato præceperit, ut pyram ingrederetur: cui teterrima bellua obtemperans, flammis absumpta est. Quid hac potestate mirabilius? Quum vero, ut idem D. Hieronymus refert, per idem tempus mare, suos fines egressum, altissimos etiam montes

N 3

(a) Psalm. 80. 11. (b) Psalm. 102. 1.5. (c) Josue 10. 13. (d) Isai. 38. 8. (e) Luc. 17. 6. (f) Marc. 11. 23.

tes operiret; & periculum esset, ne finitima loca omnia a quis obrueret: idem sanctus, crucis signo in sabulo facto, furenti pelago præcepit, ne quos ipse illi fines eo signo præfixerat, transgrederetur: quod præceptum mare fremens & intumescens, & sese in maximam altitudinem attollens, quasi violentiam a sancto viro pateretur, tamen prætergredi non est ausum. Hoc autem, fratres, quid aliud est, quam hominem quadam divinitatis participatione omnipotentem quodam modo fieri? Quæ res non in conditoris injuriam, sed in summam gloriam cedit, quemadmodum D. Bernardus ait: *nihil est quod omnipotentiam Verbi clariorem reddat, quam quod omnipotentes efficit sperantes in se.*

§. I.

Quum hæc igitur tam præclara munera legis suæ cultoribus Dominus promississet, poterant discipuli quærere: quæ sunt ista mandata tua, Domine, quibus tam ingentia præmia polliceris? Huic igitur tacitæ quæstioni in præsentī lectione Salvator respondet, dicens: *hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Hoc enim uno dilectio-

nis præcepto omnia mandata mea continentur. Si enim Deum & homines sincera dilectione prosequuti fueritis, legem meam implevistis. Quid vero si homines ipsi, sic a vobis dilecti, parum huic amorī respondeant? immo vero, quæ est multorum pravitas, si pro amore odium, pro beneficiis maleficia rependerint? Nec hoc vobis mirum videri debet, quando me quoque mundus priorem vobis odio habuit. *Si enim de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quis vero de mundo non estis, &c.* Recte hoc in loco D. Cyrillus: *ut corporum, inquit, ita morum cognatio quedam est: quoram similitudo longe sanguinis vincit cognationem.* Omne namque animal diligit sibi simile. Sanctus cum sancto, & perversus cum perverso jucunde conversantur. Hinc illa Salomonis sententia: (a) *abominantur justi virum impium: & abominantur impij eos, qui in recta sunt via.* His autem verbis Dominus discipulos suos ad futura certamina atque pericula, quæ illis in evangelii prædicatione subeunda erant, opportune admodum instruit ac præmunit, ne illos videlicet repentina &

im-

improvisa mala, ut paullo ante diximus, nihil tale suspirantes aut expectantes adorirentur. *Sero enim animus, ut ait Seneca, ad periculorum patientiam post pericula instruitur.* Est autem commodissima ad hoc præmunitio, & mala omnia, prius quam ea nos aggreddantur, animo præsumere, & salutis nostræ auctorem ac vitæ ducem Christum Dominum ante oculos ponere. Hoc enim sensu D. Gregorius illum Davidis versiculum interpretatur: (a) *in mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas;* sic enim ait: „ quicumque „ proficere in virtute cupit, „ Redemptoris vias oculis sub- „ jiciat: atque ut mens ad ad- „ versa præparetur, maiorem, „ gaudium putet, & præsen- „ tis vitæ gaudia, damna ma- „ roris esse credat. „ Hoc ipsum autem Apostolus se fecisse ostendit, quum ait: (b) *quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, &c.* Et mox: (c) *ut cognoscam, inquit, Christum, & societatem passionum ejus, con- figuratus morti ejus, si quo modo perveniam ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.* Omnia igitur

tur Apostolus sibi ante oculos proponebat, & futuras passiones, & Christi ducis sui exemplum, & magnificum resurrectionis præmium: atque his armis præmunitus, lucra mundi, damna computabat; & mortem, lucrum.

Sed quid est, quod Dominus ait: *scitote, quia me priorem vobis odio habuit?* Hæc, ut ita dicam, prioritas, non temporis antecessionem, sed personæ dignitatem insinuat. Sic enim hanc vocem D. Augustinus interpretatur, enarrans locum illum Joannis: (d) *qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.* Prior, inquit, me, id est, me dignior atque præstantior. Eadem igitur significatione, prioris nomen hoc in loco sumendum est, ut sit sensus: si mundus vos odit, scitote, quia me vobis multo præstantiorem, utpote unigenitum Dei filium, odio habuit. Voluit enim Dominus huic argumento ex personæ circumstantiæ pondus addere; quemadmodum quum post abluionem pedum discipulorum dixit: (e) *vos vocatis me, magister & Domine; & bene dicitis, sum etenim. Si er-*

N 4

go

(a) Prov. 29. 27.

(a) Psalm. 118. 15. (b) Philip. 3. 7. (c) Ibidem, v. 10. (d) Joan. 1. 15. (e) Joan. 13. 13.

go ego lavi pedes vestros, Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Sic igitur hoc in loco argumentatur. Ne vobis indignum videatur, ea perpeti, quæ rerum omnium Dominus vestri causa perpeffus est: immo vero summæ laudis & gloriæ loco ducite, illum quavis in re, atque adeo in ipsa etiam laborum perpeffione, imitari. Verissime enim ab Ecclesiastico dictum est: (a) *magna gloria est, sequi Dominum*. Hac ratione legimus, (b) Phocionem, integritatis opinione apud Athenienses celebrem, sed malevolorum injustitia ad mortem damnatum, quemdam hominem in eodem carcere morti adjudicatum, & acerbe fortunam suam lamentantem, consolatum fuisse, quod cum Phocione moretur: sic enim ait: non tibi satis est, Thudippe, hoc enim illi nomen erat, cum Phocione mori? Si ergo vir ille Græciæ justissimus gloriosum ducebat, aliquem secum mori; quanto erit, quæso, gloriosius, cum innocentissimo Dei filio persequutiones & labores perpeti, dolorumque ejus socium * atque participem fieri? Sum-

(a) *Eccli. 23. 38.* (b) *Plutarch. in Apoph.* (c) *Hebraeor. 12. 3.* (d) *Petr. 2. 21.*

ma enim imaginis alicujus perfectio est, si quammaxime exemplari suo similis existat. Quum ergo Christus Dominus nobis in exemplum totius virtutis & sanctitatis propositus sit; nihil prius aut honorificentius ducere debemus, quam illi omnibus in rebus similes fieri. Unde quidam ex patribus * ait, nullum pingendi artificem tanto studio contendere, ut effigiem, in qua laborat, exemplari suo similem faciat, atque divinus ille spiritus, ut nos Christo Domino in cruce pendenti, in qua præclarissimum virtutum omnium specimen edidit, similes in hac vita efficiat. Hæc enim summa rationalis creaturæ perfectio est, auctori suo, quoad licet, similem fieri. Ad cujus nos imitationem Paullus invitat, quum ait: (c) *recogitate eum, qui talem sustinuit adversus semetipsum a peccatoribus contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes*. Et apostolus Petrus: (d) *Christus, inquit, passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*. Quemadmodum * aliquam sive domum sive ba-

silicam extructuri, prius, vel in charta aliqua, vel in materia lignea, totam futuri ædificii fabricam summo artificio depingunt; quam semper, dum opus moluntur, propositam ante oculos habent, ut juxta illius descriptionem omnia faciant: ita plane cælestis pater spirituale in mundo templum, nempe ecclesiam suam, ex vivis lapidibus ædificare cupiens, absolutissimum totius virtutis & probitatis in unigenito suo nobis exhibuit exemplar, & ad ejus imitationem unumquemque fidelium hortatus est, quum Moysi dixit: (a) *omnia fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Et Paullus: (b) *adspicientes, inquit, in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*. Porro autem si tota ducis nostri vita, ab initio ad finem usque, velut crux quædam externi hominis existit; quid, quæso, aliud perfecti viri vita, si ad hoc exemplar effingenda est, nisi crux esse debet? Cur enim Dominus tot suppliciorum & opprobriorum genera perpeti voluit, quum una pretiosi sanguinis ejus gutta, propter infini-

tam illius divini suppositi dignitatem, satis superque ad totius mundi redemptionem esset; nisi quia non solum nos passionis suæ meritis a peccato redimere, sed etiam virtutum suarum exemplis ad laborum patientiam, & virtutum studium voluerit incitare? Hinc Leo papa: *ab omnipotenti, inquit, medico duplex nobis remedium preparatum est: cujus aliud est in sacramento, aliud in exemplo; ut per unum conferantur divina, per aliud erigantur humana: quia sicut Deus justificationis est auctor, ita homo devotionis est debitor*. Idemque rursus: *filius Dei universis in se credentibus & sacramentum condidit, & exemplum, ut unum apprehenderent renascendo, alterum sequerentur imitando*. Hæc ille. Si igitur hæc Salvatori nostro causa fuit tam multa patiendi, ut nos ejus exemplo leviora saltem pateremur; quicumque indulgentiorem vitam, & laborum atque molestiarum omnium expertem, sibi sectandam proposuerunt, quantum in ipsis est, hoc Domini propositum atque consilium everttere atque frustrare conantur; ut ille, quod ad istos attinget, dicere merito possit: o fru-

(a) *Exod. 25. 40.* (b) *Hebraeor. 12. 2.*